

SIPPUS Justino cœvus apud EUSEB. L. 4. cap. 22. edit. VALESII. Epistola Ecclesiæ Viennensis apud EUSEB. Hist. Eccl. L. 5. cap. 4. CLEMENS ALEXANDR. qui ante TERTULL. scripsit, L. 6. Stromat. diserte Episcopos, Presbyteros distinguens. Ac TERTULLIANUS ipse, qui licet sec. III. ineunte florere cœperit, discrimen tamen hoc clericorum a laicis, et ipsorummet ministrorum hierarchicum ordinem, non sua primum ætate invectum, sed ut quid omnibus notum ac vulgare supponit L. de Præscript. cap. 41.

15. *Obj. I.* cum Calv. et Luth. Populus christianus unus et simplex esse debet, in quo nulla personarum differentia, nullus clericus, nullus laicus, nullus unctus. *Prob. 1º.* Ex Apostolo ad Gal. 3. v. 28. *Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Ergo omnem distinctionem et eminentiam unius præ alio inter Christianos rejicit. *2º.* S. Petrus epist. sua priore cap. 5. totam Ecclesiam clerum appellat ad Episcopos scribens: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo;* igitur errore et traditione impia ab honore clerici nominis dejecti sunt laici. *3º.* Christus damnat istam diversitatem status inter Pastores et plebem: *Qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister,* Matth. 20. Alios textus art. seq. dabimus. *4º.* Omnes Christiani fratres Christi sunt: sed Christus vere Sacerdos est; ergo et illi; ergo inepte illa differentia statuitur.

R. *1º.* Vox illa, spectato adversariorum sensu, simillima est illi rebellium Core, Datan et Abiron, qua olim impetebant sacerdotes Testamenti veteris Num. 16. *Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus, cur elevamini super populum Domini?* At quorum schisma severe castigavit Deus: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos, cum tabernaculis suis, et universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum.*

R. *2º.* *D. Ant.* Populus christianus debet esse unus et simplex unitate fidei; item animorum, ut idem sentiant, nec sint in eis schismata C. unitate status, sensu adversariorum N. Priorem unitatem urget Paulus ad Ephes. 4. hortans eos servare unitatem spiritus in vinculo pacis, quia *unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium.* Cum hac vero unitate æque parum pugnat distinctio clericorum et laicorum, quam diversitas munerum, de quibus ibid. Apostolus. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii* v. 11. Item, quam membrorum distinctio cum unitate corporis. Unum est humanum corpus; neque tamen totum est oculus, auris, manus, pedes; alias, ut ait Apostolus 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? ubi odoratus?... et si essent omnia unum membrum, ubi corpus? nunc autem multa quidem sunt membra; unum autem corpus.* Ita plane in Ecclesia alii clerici, alii laici; ac rursus clericorum alii sacerdotes, alii ministri; laicorum alii principes, alii subditi: sed hæc membrorum et partium varietas est, corpus vero unum, quoniam unus omnium Dominus est, una fides, unum baptisma, unus Deus Pater, uno pane nutrimur.

*Ad prob. 1ºm. D. Cons.* Rejicit distinctionem omnem et præminentiam in ordine ad clericos et laicos in Ecclesia N. de hoc enim ibi ne cogitat quidem Apostolus: in ordine ad justificationem, salutem aliasque gratias in Christo vel per Christum consequendas C. Neque enim verbis illis: *Non est Judæus,* etc. Apostolus excludere ab Ecclesia diversitatem sexuum, nationum, conditionum voluit, qui enim alias Ecclesia consisteret? sed æque parum clericorum et laicorum differentiam exclusam voluit; verum monere tantum, non illa esse, quæ filios Dei faciant, et regni æterni hæredes, sed fidem, quæ nos verum Abrahæ semen efficit, cui facta uni, juxta v. 16. hæreditatis promissio; et in hoc jam nos omnes unum in Christo, sive pares esse; ait enim: *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, etc. omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Tum concludit: *Si autem vos Christi; ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.* Unde, spectato scopo Apostoli, æque potuisset dicere: non est clericus, neque laicus; quia æque parum sine fide prodest conditio cleri et laici, quam liberi et servi, quam maris et feminae, Judæi et Græci; cum hæredes Regni non istæ graduum et conditionum differentia, sed fides, cum spe et charitate, constituat.

*Ad prob. 2ºm. R. 1º.* N. hæc, in cleris, a S. Petro ad totam Ecclesiam referri; sed de iis tantum reipsa dici, qui proprie clerici dicuntur; ita S. Hieron. epist. ad Nepotian. cit., et OECUMENIUS in Commentario hujus epistolæ sentiunt. Tametsi enim ad Episcopi gregem et clerici et laici pertineant, quia tamen majus erat periculum, ne fastuosum imperium Episcopi exercerent in clericos, quam laicos, quod clerici, utpote vi status sui Episcoporum administrari, iis sint magis subjecti quam laici; ideo S. Petrus Episcopos monet, ut totum quidem gregem diligenter pascant; in pascendis vero laicis fugiant turpe lucrum, in regendis clericis arroganter dominatum. Quo proinde non damnatur Episcoporum potestas ipsa, et jurisdictio in subjectos clericos, sed potestatis abusus et fastus imperii.

R. *2º.* *Permisso gratis Ant. N. Cons.* Potest enim eadem cleri appellatio tribui ratione diversa tum Ecclesiæ toti, tum solis Ecclesiæ ministris. Tametsi proinde Ecclesia universa sors hæreditas sit Christi, quod eam acquisierit sanguine suo; eo tamen non obstante certa Ecclesiæ portio, consecrata ministerio altaris magis propria ratione dici potest sors Christi et hæreditas, non secus, ac olim totus Hebræorum populus passim vocabatur hæreditas Domini, quod eum Deus liberasset servitute Ægypti, itaque velut redemisset, ac tamen solam tribum Levi, quam rebus sacris præfecerat, ratione quadam speciali sortem suam et hæreditatem esse voluit Num. 18. et Deut. 18. Porro Levitis, qui speciali modo sors Domini dicebantur, non respondent nunc in Christi Ecclesia Christiani omnes, sed sacerdotes soli, eorumque ministri.

*Ad prob. 3ºm. R. N. A.* Eo enim loci, occasione ambitiosi postulati matris filiorum Zebedæi, humilitatem commendat; suosque monet, ne dominationem imperiosam et acerbam exerceant; præmittit enim: *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos.* Vult igitur solum non eo modo præesse suos, quo principes gentium dominantur, h. e. dominatione austerâ;



græcum enim *κατακυριεύουσι* *dominantur*, ipso Beza ad eum locum teste, significat dominari *contra eos*, dominatione imperiosa, cumque acerbitate conjuncta.

Deinde observo ad eum locum contra Calvin. qui illo plurimum nititur, ut hierarchiam Ecclesiasticam ac clericorum præminentiam convellat, rectius multo ac solide dogma catholicum stabiliri. Nam 1º. non ait Christus, vos non præsidebitis ullo modo, sed non sicut principes gentium vel infidelium, qui sine suorum amore bonove et gravi præsumunt imperio; qui autem dicit, tu non sic præeris sicut ille, id significat, tu præeris quidem, sed aliter quam ille. 2º. Nonne clare subjungitur: *Quicumque voluerit inter vos major esse, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus?* Lucæ autem 22. 26. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor*, græce *ἡγούμενος*, *sicut ministrator*; ergo supponitur aliquis ipsos inter Apostolos major futurus reliquis, quo nihil clarius pro hierarchia Ecclesiastica. 3º. Suum exemplum adhibet: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*; sicut ergo Christus vere præerat omnibus, licet non ita, ut more regum gentium dominaretur, sed potius ministraret, ita vult suos præesse aliis, sine tamen dominandi libidine, sed præesse Ecclesiæ ut pastores et patres.

*Ad prob. 4<sup>am</sup>.* R. D. A. Omnes sunt fratres adoptione C. natura N. At filii adoptivi non gaudent ea amplitudine jurium, quibus naturales, intellige, ut naturalis opponitur adoptivo. Quin in illustribus familiis naturales fratres non semper juribus pares sunt, non raro sibi potiora vindicante, qui inter eos primogenitus est.

16. *Obj. II.* Plurimum nituntur Catholici ad probandum inter clericos et laicos discrimen epistolis S. Ignatii M. sed ex his nihil evinci potest. *Prob. min.* Nullas enim scripsit epistolas Ignatius; sed pleræque, quæ ejus inscribuntur nomini, confictæ sunt. Ita passim ex adversariis Protestantium plures sine rationibus aliis. *Prob. 1º.* In epistolis Ignatii denominationes Episcoporum, Sacerdotum, Clericorum leguntur, quæ duobus prioribus seculis erant incognitæ. 2º. Si genuinæ essent epistolæ, Ignatius non Apostolicus, sed apostaticus esset vir; quippe qui in suis epistolis ipsos etiam reges regio clericorum sacerdotio subjicit. Hactenus Boehmer. Dissert. 7. §. 41. 3º. In epist. ad Magnesianos refellit errorem Valentinianorum: *Quoniam unus Deus est, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum filium ipsius, qui est ipsius Verbum æternum, non a silentio progrediens*; Valentinus vero in suo commento de Syzygibus Æonibus Verbum aiebat prodiisse e *Sige*, quæ est *silentium*, ut de eo notat S. Epiph. ex Irenæo. Ergo Ignatii hæc saltem epistola esse nequit, utpote qui vixit ante Valent. hæresin; orta enim ea est hæresis an. 140. At Ignatius post S. Petrum et Evodium sedere cæpit in Antiochena sede an. 71. ut communiter volunt Chronologi, et testibus iisdem sedit annis 40. Romæ passus anno undecimo Trajani, unde fit, 30. ante Valentin. hæresiarcham annis decessisse IGNATIUM. 4º. In ead. epist. dignitatem episcopalem et *προστασίαν* vocat *νεωτερικῆν τάξιν*, h. e. *recentiorem ordinem*; sed hoc ipsis adversatur Catholicis; sequeretur enim hunc ordinem tunc primum fuisse invectum, cum conficeretur epistola, petit enim ea epistola Ignatii a Presbyteris illius Ecclesiæ, ut patienter ferant, nunc

Episcopum sibi recens contra ac alias fuisset, omnibus præpositum. Ita iterum alii.

Non abs re me facturum credidi, si paucis saltem, et quantum satis epistolarum S. Ignatii M. vindicias ponerem; quarum videlicet testimoniis tum aliis in dogmatibus, tum præsertim quoad ordinem magnopere illustratur et adstruitur traditio Catholica. Quare ad argumentum

R. T. *Maj.* Quia, etsi, ut modo dictum, iis sat clare adstruatur Catholica de Ecclesiasticorum ordinum discrimine traditio, si tamen etiam illæ non essent, adhuc subsisterent rationes conclusionis cæteræ, et quæ art. seq. proferentur. *N. min. et hujus prob.* si tamen probatio dici queat, et non potius assertum inane nimium temere et inscite prolatum.

Nam 1º. teste antiquissimo et ejusdem cum S. Ignatio ætatis Polyc. in epist. ad Philippenses (PP. apost. opp. p. 275. edit. Hefel.) quam in Asianis Ecclesiis legi solitam asserit S. Hieron. de Scriptor. (al. de viris illust.) c. 7. S. Ignat. scripsit *epistolas utilissimas*, quas ait Polycarp. ibid. collegisse se quotquot invenire potuisset. 2º. Suppar ætatis utriusque et Polyc. discipulus IRENÆUS ad epistolam Ignatii ad Romanos provocat, ex eaque sententias producit L. 5. contra hæreses cap. 28. quod et refert Eusebius Histor. L. 3. cap. 36. fidem epistolarum Ignatii, Polycarpi auctoritate adstruens. 3º. ORIGENES homil. 6. in Lucam (opp. t. 3. p. 938. A.) Ignatium laudat ejusque epistolam, qua dixerat, Virginis partum latuisse principem hujus seculi, hoc est, diabolum; qui locus extat in Ignatii epistola ad Ephesios: ad hanc quoque S. Athanasius appellat, inde sententias referens L. de Synodis n. 47. pag. 709. Theodoret. Dial. 1. p. et alibi. 4º. Eusebius L. 3. Histor. cap. 30. S. Hieron. loc. cit. septem recensent S. Ignatii epistolas: unam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Philadelphos, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum. Præter has, quinque adhuc aliæ reperiuntur, una ad Mariam Cabassolitam, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta, ad Heronem quinta; quæ quidem ad manus Eusebii et Hieron. non pervenerunt; ob styli tamen similitudinem, et spiritum verè apostolicum, inquit BELLARM. de Script. Eccles. de S. Ignatio, a viris doctis recipiuntur. Item tres aliæ, ad B. Virginem Deiparam una, duæ ad S. Joannem Evangelistam; sed neque in Codicibus Græcis habentur, neque gravitatem eloquii S. Ignatii omnino redolent. Unde et de prioribus septem hic nobis solum disputatio erit. Præterea 5º. præter memoratos ante, epistolarum Ignatii mentionem faciunt, apud PETAV. L. 2. de Hier. Eccl., Chrysostomus, Antiochus, Joan. Damascenus, Antonius Melissa, Phot. plurimique alii. Inscite igitur et temere prorsus negatur, ullas ab Ignatio Martyre epistolas scriptas fuisse.

At priores Ignatii epistolæ, quas Eusebius et Hieronymus referunt, atque omnes, præter Romanam, quæ sola desideratur, anno 1646. Lugduni Bataavorum Isaac Vossius e Bibliotheca Florentina acceptas edidit, omni carent prudenti suspitione suppositionis. Multum illæ discrepant ab iis, quæ antea sparsim circumferebantur; habentque hanc characteristicam authenticæ notam, quod omnes in illis reperiuntur sententiæ, eodemque prorsus verborum ordine, quo eæ ab antiquis Patribus ex Ignatii epistolis citatæ leguntur, quæ quidem in vulgatis antea diversisque editionibus absunt, quas



proin merito eruditorum crisis in dubium, vel corruptionis suspicionem vocaverat: vide hujus rei exempla apud Petav. Theol. Dogm. de Incarn. L. 3. cap. 6. Consonant etiam cum latina versione veteri, quam, diu latentem, sed fortuna repertam aliquot ante Vossium annis edidit Jacobus Usseus. Nihilque similis, quam illa versio latina velus Usseus, et codex græcus Florentinus divulgatus a Vossio, ut nemo prudenter dubitet, illas esse genuinas Ignatii epistolas, quas antiquorum consensus illustribus adeo testimoniis commendatas et approbatas reliquit. Nunc

*Ad prob. 1<sup>am</sup>.* R. 1<sup>o</sup>. Nonne Paulus ad Philippens. 1. v. 1. orditur epistolam: *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus?* sive ut versio habet Syriaca: *cum Presbyteris et Diaconis?* Nonne idem *Presbyterorum* nomen adhibet ad Tit. 1. v. 5. Lucas *Episcoporum* Act. 20. v. 28. Non tamen ideo hæc supposititia sunt. 2<sup>o</sup>. Falsum, quod nomen *sacerdotis, cleri* usurpet, ut ex allatis verbis liquet; sed quod vulgariter clerum modo dicimus, Ignatius per præcipuos Ecclesiæ ministros expressit, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quod quoad rem, de qua sola est nobis disputatio, perinde est. 3<sup>o</sup>. Manifestum circuli vitium committit scriptor utut cætera clarus, dum per id, quod est in quæstione, alterum æque controversum vult dirimere. Quæritur enim, utrum duobus primis seculis inter clericos, sive ministros Ecclesiæ, et laicos fuerit discrimen? Affirmant Catholici idque probant ex S. Ignatio M. Negat Boehmerus cum suis, genuina illa esse Ignatii loca, quia in his ministrorum Ecclesiæ distinctorum inter se et a laicis fit mentio. Quod sane in tanto viro nemo non rideat.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* Nihil melior hæc ratio est præcedenti. *N. seq.* Subjicit fideles omnes regio sacerdotio, sed in *spiritualibus*; in politicis omnes tum Cæsari fuisse subditos, nemo ambigit. Reges ibidem Ignatius nequidem nominat; sed, etsi non nominet, etiam hi in spiritualibus sacerdotio subjecti sunt; cum nusquam eximantur, ac, licet dignitate præemineant; hæc solum politica est, eos nihilominus in *statu laicorum* relinquens. Neque illud *apostolici* est dicere, nisi apostolicum quis velit Apostolum facere, qui regimen hoc spirituale sat luculente exercuit 1. Cor. 5. et declaravit Mileto digressurus Episcopos extremum alloquens: *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et ostendit passim alibi. Vel si ex hoc ipso capite rejiciendas ut spurias velit epistolas, quod in iis *spirituali* Episcoporum regimini subdantur reliqui; rursus, ut ante, in turpe incidet vitium circuli.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>.* R. N. A. Falsa et inanis hæc conjectura est; longe enim diversus est verborum Ignatii sensus. *Verbum* hujusmodi, vel *Sermonem* (ita enim Latinorum veterum quidam *λόγον* interpretati sunt) Ignatius ait esse Christum Dei Filium, non qualis creatus et humanus sermo est, qui post silentium oritur, et in silentium desinit; non enim est æternus: sed Dei Filius est Verbum non a silentio prodiens, quia est æternum, illudque Pater produxit ab æterno. Audiamus AUGUSTINUM serm. 1. de Nat. Dom. (al. serm. 369.) ad eum sensum nobis ita præeuntem: *Quænam est illa generatio, qua in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus ante non silebat: quo dicto non siluit, qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit ceptum, clausitve finitum.*

*Ad prob. 4<sup>am</sup>.* N. Maj. νεωτερικὴ τάξις, est *novitia ac recens ordinatio*, vel *institutio*, quæ jaclari tum cæperat, quibusdam ambitiose molientibus, ut Episcopatus, non libera electione conferretur, sed antiquissimo, hoc est, ex ætatis vel temporis antecessione, quo in clerum erant assumpti. Nam hactenus, ex Apostolica ordinatione, non antiquiores quique, sed aptiores et digniores per Ecclesias instituebantur Episcopi; quod in Timotheo fecit Apostolus; hunc enim juniorem veteranis prætulit; et ideo monet, ut ita se gerat in administranda Ecclesia, ut ne adolescentiam ipsius contemnant, et ejus electione offendantur alii, 1. Tim. 4. 12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Tum ut idem in eligendis præpositis Ecclesiarum institutum teneant, tam illi, quam Tito præcepit; nam utrique, quales eligere oporteat Episcopos, h. e. quibus ornatos virtutibus præscribit ad Tit. 1. Hæc igitur est νεωτερικὴ τάξις nupera, recens institutio ab Apostolico præscripto et ordinatione deflectens, quam quidam, unus et alter ἢ ἡ δύο πρόσωπα introducere volebant, querentes, sibi prælatum alium, qui in clerum posterius adscriptus esset.

Istud vero aperte falsum, Ignatium ibi hortari presbyteros, ut patienter ferant, superimponi sibi Episcopum nunc, qui unus præsit omnibus, quasi non ita jam ante fuisset; ut enim legenti epistolam patebit ad oculum, presbyterorum exemplo utitur ad movendos Magnesianos, ut, licet ætate juniorem, Episcopum reverentur. En verba: *Sed et vos decet non contumeliam Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem reverentiam ei tribuere, sicut agnovi et sanctos presbyteros, non assumentes juniorem ordinem, quo volebant quidam antiquiores præferri, sed ut prudentes in Deo concedentes ipsi;* ergo presbyteri de hoc non querebantur.

17. *Inst.* In epistola ad Ephesios auctor aperte dogma Arianum tradit; ergo vel Ignatii non est, vel hic Christi divinitatem non credidit. *Prob. Ant.* Christum enim ibi *factum* dicit, teste THEODOR. Dial. p. 1. (opp. t. 4. p. 33.) ubi locum ita recitat: *factus ex non facto*, uti etiam codex Florentinus habet γενητός ἐξαγενήτου, sed hoc rigidi Ariani dicebant.

R. N. Ant. *Ad prob. D. Maj.* Dicit factum *simpliciter*, ut alias creature dicuntur factæ N. Dicit factum, scilicet *hominem C.* Hoc sensu ipse Theodoretus Dial. cit. verba Ignatii, *factus ex non facto*, refert, ut ibid. contra Eutybianum duplicem in Christo naturam ex Ignatio probet. Estque sensus: qui qua Deus est non factus; postea tamen est factus, nimirum homo. Utrumque igitur, et *factus*, et *non factus* unum eundemque Christum appellat; non vero ista *ex non facto* Patrem respiciunt, quasi ab hoc factus esset Filius, ut perperam putant adversarii. Id amplius ex S. Athanasio perspiciamus, qui L. de Synodis pag. 709. ex eadem epistola hunc ipsum locum totum ita refert: *Unus medicus est carnalis et spiritualis: factus et non factus: in homine Deus: in morte vita æterna: ex Maria, et ex Deo: Dominus noster Jesus Christus.*